

Prov. 16. 13. Itaque, si totam velis Sacri verbi Kanah virtutem exprimere, omnino reddas: Dominus dilexit me, creavit, genuit, emittit, ac possedit. Quae apprimè in Mariam cadunt, quam divinum Verbum, singulari attributione Dominus per creationem, per passionem, vehementer dilexit, dilectam progenerari fecit, progenito corpori animam creando infudit, simulque totam futuræ mortis pretio sibi coemit plenèque proinde ac perfectè possedit. Itaque B. Corporis generationem seu conceptionem, animæque felicissimæ creationem, intelligere non est, quin simul dilectam utramque, precioseque emp-tam Dei sanguine, atque plenissimè à Deo possessam intelligas; dum tamen Salomonico fidem habeas huic vaticinio, gravissimis Vulgati, & LXX. Interpretum versionibus illustrato. Jure ergo duplici totam sibi vendicat Dominus ac possessor, & pleni Domini, quo in omnem rei dispositionem sese extendit, dilectionem in primis, generationem, seu conceptionem, creationem, emptionemque simul ac possessionem.

2124 Ut verò universa præcludat Salomon dubitandi suffragia, dominium ac possessionem per singularem illum amorem, quo Verbum divinum Matrem creavit suam, à primo repetit exordio. In initio viarum suarum. Aquila, In initio opificiorum suorum. Antequam quidquam faceret à principio. Non enim solum illam ab ipsius prima conceptione, & creatione ardentissime dilexit, ductissimam emittit, ac possedit; sed ne qua esset contentio suspicio, ne quis jus aliquod, vel vanissimum, ex adverso possit in Mariam prætexere, jam illam, antequam quidquam faceret, à principio, divini juris, domini, ac possessionis fuisse asserit. Hic tamen moneo, initium non ad divinum tantum decretum creationis referri, sed ad illius quoque objectum, ut ita dicam: hoc est, non solum asseri, Mariam amare, creare, ac possidere: frigidum hoc esset; sed ipsam asseri ab ipsius creationis initio amantissimam Deo futuram plusquam omnia divina opificia; hoc enim est in initio viarum divinarum à Deo possideri, nempe tamquam primum ac nobilissimum omnium opus, omnique amore jam inde dignissimum, à metipsa prima ejus creatione diligendam, emendam, ac pro jucundissima Domini possessione habendam. Nam hæc divina possessio divinæ cognitioni, & amoris prima ac præcipua omnium divinarum operum, simul cum humanitate Filii observata est. Primum igitur ejus initium, hoc est, Conceptio & Creatio, prima omnium opificiorum cognita, dilecta, atque dilecta redempta & à Domino unice possessa est.

Plenum Dei in Deipara Dominium alteriusquam non admittens.

2125 Sistamus gradum, atque attentius quisque apud se consideret, an tantum, ac tam plenum dominium, talis ac tam perfecta possessio tam justo creationis ac redemptionis jure firmata ulla adversariorum possit exceptione convelli? Civile est, Naturale est, duorum in solidum dominium, vel possessionem esse non posse, L. Si ut certo. §. Si duobus, ff. commodati. Sic Juris prudentes gravissimi, Celsi, Ulpiani responderunt. Rursum, in proprietatis questione, quod meum est, alterius non est. L. Ex textante, ff. de exceptione rei judicata. Sic edixit consultissimus

Paulus. Atqui Meria tota in solidum à Conceptionis & creationis exordio divini Domini, & possessionis fuit. Igitur in eo ipso exordio alterius non fuit. Dominium (inquit Baldus ad L. In suis 11. numero 4. Baldus. ff. de Liberis & Posthumis) appellatur proprietas, & propriè proprium illud est, quod eadem consideratione non convenit pluribus, sed uni. Maçte; uni, uni, inquam, Domino (non duobus, & quidem adversariis) conveniat necesse est solida Mariæ proprietatis & dominium; & quidem universè. Sed quid hic ago, in hac una maximè consideratione conceptionis, & creationis, ex cujus exordio Dominum ipsam possidere probavimus. Plures eandem rem possidere non possunt; contra naturam quippe est, ut cum aliquid ego teneam, tu quoque id tenere videaris. L. Possidere 3. ff. de acquirenda possessione. Si igitur Mariam ab initio Conceptionis, & creationis ejus, Dominus possedit, contra naturam est, ut alter quoque possederit: Ergo non tataricus Draco, neque ad instans, Virginem possedit. Ad stipulatur dominio huic & proprietati divinæ antiquissimus Adamantius Hom. 1. in diversos, ubi Mariam vocat, Creatoris omnium propriam, caelestis sponsi aulam immaculatam. Si creatoris propria; ergo non alterius; ergo non slyng Draconis: nam propriè proprium illud est, quod non convenit pluribus, sed uni; & in proprietatis questione, quod meum est, alterius non est. Et S. Ildephonsus lib. de Virg. S. Mariæ c. 2. possessionem Dei, illam nuncupat: & infra, virtutum Deus & Dominus possessionis hujus; calor Rex est possessor juris ipsius. Orige.

Plures eandem rem possidere non possunt.

Orige.

S. Ildeph.

Vidisti quam solide, quam amoenè probet ipsamet Deipara Virgo apud Salomonem, suam à peccato originis immunitatem? Vidisti, illam, vel ab illo formationis suæ momento, solide ac plenè à divino Verbo possessam jure creationis, jure redemptionis? Id totum uni ejusdem Verbi Filii sui dilectioni, qua Matrem suam singulariter profecutus est, acceptum ipsa refert. Dominus dilexit me, diligendo creavit me, creando emittit me, emendo possedit me.

Prov. 8. 23

Eodem Proverb. c. 8. v. 23. alia ejusdem Virginis Verba Regio Salomonis calamo exarata extant, rationis trutinæ mandanda. Ab aeterno ordinata sum. Pro ordinata, Hebraicè est nisacchi, à verbo nasach, quod multa significat, signatissime tamen, ad rem nostram, fundere seu constare. Unde veritas: A seculo constata sum: & cum R. David sic interpretis: A seculo constata in modum imaginis, quasi per fusionem quandam, bonam in formam composita sui. Observat id Pagninus in suo Thelauo, & de hac significatione constare ex c. 40. v. 19. Isaia, & c. 44. 10. Constare ex are, auro, vel argento. Hispanè dicimus: Labrar de fundicion. Ad hoc autem duo in primis necessaria sunt (præter aptam materiam, & sapientem artificem) tum forma (Hispani molde dicimus) cujus speciem constabile opus assumat: tum etiam ignis, quo aurum vel argentum succendatur, emolliatur, liquefiat, ut formâ confignetur. Etenim, prima ipsa Deiparæ formatio in Genitricis Annæ utero, ab aeterno per peculiarem prædestinationis ordinem ante omnem aliâ creaturâ, à Deo disposita fuit; ut esset constans in modum imaginis, quasi per fusionem quandam, ipsamet

Maria formata in modum imaginis constata ex auro, amoris igne.

Artifex illius Deus ipse. Augustin.

Materia aurum.

S. Damaf.

S. Brigitta.

Ejus forma Deificæ. S. August. S. Ildeph.

S. Damaf.

Ignis ad constitutionem spiritus sanctus.

Fulbertus.

S. Anselm.

Marians conceptio operis Spiritus sancti.

S. Epiphani.

Maria Seraphin, id est ignita, inflammata.

S. Epiphani.

ipsamet Virgine attestante. Ab aeterno constata sum. Hujus operis exactissimus artifex divinum extitit Tract. de quinque hæreibus. c. 5. Ego Matrem, de qua nasceretur, feci; ego viam meo itineri preparavi. Mater est mea, manu fabricata est mea. Matera verò lectissima, defæcatissima; aurum nempe nobilissimum, imò auro quovis purior. Talis extitit vel semen, ipsa materia, ex qua Deiparæ corpusculum formatum est, ut supra itacui-mus. Sed & ipsam Virginem, aurum minimè adulteratum appellat Damascenus Orat. 2. de Assump. & quovis auro puriorem, eam pronunciat Andreas Jerosoly. Hom. 2. de Assumptione: unde aurea hora, & pretiosa appellatur à S. Brigitta, illa, in qua concepta est Dei Mater, lib. 6. Revel. c. 55. Forma autem, cujus species huic constatu imagini altè impressa est in ipsa ejus formatione, fuit ipse Deus. Deformem illam vocat S. Dionys. Areop. in Epist. ad Paulum Apostolum: forma Dei nuncupatur à S. August. serm. 35. de Sanctis, & à S. Ildephonso serm. 8. de Assump. B. Mariæ. Dei animata imago cultissima, atque ornatissima, cui Deus apparitor & conditor ipse inventus est, à S. Damaf. orat. 1. de Nativ. Virg. Denique ignis ad tam exactam divinæ imaginis constitutionem apprimè necessarius, Spiritus sanctus fuit; qui est divini Verbi amor notionalis & personalis. Hoc igne in primis affatum impleti Deiparæ Parentes Joachimus, & Anna, ut ad constitutionem hujus sanctissimæ imaginis venirent. In hujus conceptione (ait Fulbertus Carnotensis in sermone de Nativ. Virg.) haud dubium est, quin utrumque Parentem vivificus & ardens Spiritus sanctus singulari munere repleverit. Hoc eodem igne succensa ipsa Virgo est in ipso suæ formationis puncto. Unde sic eam alloquitur S. Anselmus lib. de exordio mundanæ salutis c. 3. Calorum Domina, & imperatrix existis, & ut esses in utero Matris tuæ à primordio Conceptionis tuæ, operante Spiritu sancto creabar. Et libro de Excellen. Virg. cap. 4. Ipse Spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris, & Filii; ipse per quem & in quo amatur omne, quod bene amatur, ipse inquam, venit in eam, singularique gratia præ omnibus, quæ creata sunt sive in celo, sive in terra, in ipsa requievit. Igitur inde factum ut Mariæ Conceptio, quæ pura, quæ mundissima, uni sit divino amoris adscribenda. Sic conflata Deipara fuit in instanti suæ conceptionis ad modum imaginis cultissimæ, ornatissimæ, sic Deiformis evasit, sic forma Dei in illa impressa. Hic revoca superius dicta ad v. 16. in illustratione pro Deipara; ubi de Mosaiico Rubo, quem in Mariæ umbram, ab ipsis radicibus caelestis ignis corripuit.

2127 Seraphin incomprehensæ visionis appellatur Virgo à S. Epiphanio serm. de ejus Laudibus. Rectè quidem; cum Seraphin perinde sit, atque ignitus, succensus divini amoris igne, ut interpretantur S. Dionys. Areop. de cael. Hierar. cap. 7. sanctus Bernar. serm. 19. in Cant. S. Thomas 1. p. q. 108. art. 6. & multi alii. Unde jure optimo Deipara Seraphin appellata, id est, inflammata, ignita, succensa incendio divini amoris. Parum hoc: addunt alii Ecclesiæ Patres, & ipse etiam Epiphanius, Virginem Seraphinis esse præstantiorem. Nihil hac locutione frequentius apud Mariæ Panegyristas: quæ ostendunt, longè P. Ildeph. de Flores in Eccles.

majori divini amoris incendio correptam Deiparam, quam supremos ipsos Seraphinos. Ulterius hic autumo, sic inflammatam, ignitam, & succensam Mariam fuisse, vel ab ipso suæ Conceptionis exordio. Audi Epiphanium proximè relatum. Solo Deo excepto, cum illis superior existis, naturâ formosior es ipsis Cherubin, & Seraphin. Naturâ id est, nativitate & conceptione: Naturâ enim pro nativitate & conceptione, solet accipi à Philosophis cum Aristotele libro secundo Physicorum: neque aliter accipi potest vox natura, cum Angelica species longè sit altioris ordinis quam humana. Naturâ igitur, hoc est, à sua conceptione, Virgo Deipara superior, formosior, & sanctior fuit, per divini amoris incendium, quam Seraphini à sua prima conditione. Consonat S. Damascenus Orat. 1. de Nativitate Virginis. Mulier Seraphinis sublimior effecta est. Græcè pro effecta ponitur verbum parare, id est, genita. Ad instar Seraphin concepta, genita, formata est, imò ipsis Seraphinis superior incendio divini amoris majori.

Seraphinis præstantior Deipara à puncto suæ Conceptionis.

2128 Sed expende, unde Seraphini hoc nomen, illudque incendium amoris habeant, Sanctus Gregorius explicat Homilia 34. in Evangelia. Seraphin vocantur illa Spirituum sanctorum agmina, quæ ex singulari propinquitate conditoris sui incomparabili ardenti amore. Vides, Seraphinos ex majori cum Deo propinquitate & affinitate, præ reliquis flammescere? Quæ hæc propinquitas, & affinitas, si cum ea, quam Deipara habet, cum ipso Dei Filio componatur? Vera Dei Genitrix est, vera Mater divinæ personæ, eundem cum aeterno Patre Filium habet; unius naturæ ipsa & ejus Filius sunt, imò hic cum Matre unius naturæ habet identitatem. Qualis ergo omnis illa Seraphinorum propinquitas comparata huic identitati? Audi Andream Cretensem in Homilia 1. de Virginis Dormitione. Virgo ipsorum Seraphin ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum opificem omnium generationis. Et sanctus Damascenus relatus: Tota pulchra, tota Deo propinqua: ipsa namque supra Seraphinos evecta propinqua Deo extitit. Subinde deducit: Mulier Seraphinis sublimior genita. Et sanctus Bonaventura sermone 2. de Virgine Maria. Hæc in tantum Deo proxima fuit, ut creatura aliqua non unita Verbo nec perfectior, nec majoris boni capacior sit. Hujus verò tantæ propinquitatis, imò tantæ identitatis bonis, privilegii, gratiis, jam inde à prima sua creatione fruebatur, ipsam Seraphinorum vincens naturam, uti prima natura in ordine gratiæ, prælatione divini amoris, & propinquitate cum Deo. Verè in sua Conceptione Seraphin omnibus superior, sublimior, & perfectior Seraphinis: Seraphin, id est, incensa, ignita, inflammata igne divini amoris.

S. Gregor.

Deo propinqua quam ipse Seraphinis inde præ illis amore succensa.

Andr Cretens.

S. Damaf.

S. Bonav.

2129 Sed hic inquiri, qua ratione Deipara Virgo arctissimum hunc divini Verbi amorem sibi conciliavit! Certè, cum amor nihil aliud sit, quam desiderium pulchritudinis, ut ait Plato in Phædro: Et quod maximè pulchrum est, id quoque maximè amabile. Eodem Auctore libro 3. de Republica; hinc est, quod Maria eximia suâ pulchritudine ardentissimum illum amorem sibi conciliaverit. Forfan hac de causa eam Filii sui dilectionem, quæ præstò illi adfuit in sua prima

Plato;

Quod maximum pulchrum, maximum est amabile.

Originaria
Marie pulchritudine
captus Deus.

S. Amede.

formatione, appellat pulchram. Ego Mater pulchra dilectionis. Habes plura de hac originali Mariæ pulchritudine, supra à n. 772. Hic addo S. Amedei Laufanensis Episcopi verba in Homil. 3. de Incarnat. Christi sic scribentis: Desponsata erat Joseph, sed à Spiritu sancto præventa. Ille, qui te creavit, signavit, & assignavit te sibi: Plasmator tuus, ipse factus est sponsus tuus, factus est amator formæ tuæ. Regula hæc, utpote signatiora. A Spiritu sancto præventa, nempe ante humanam sponsonem: item hæc: Ille, qui te creavit, signavit, & assignavit te sibi: nempe dum crearet, quod apertius statim docet: Plasmator tuus ipse factus est sponsus tuus, amator formæ tuæ. Scilicet ab iplo plasmationis, creationis, conceptionis articulo, illius pulchritudine captus sponsonem ambivit, & ardentem amavit divinus Sponsus.

§. III.

Ad decorum & honestum divinæ dilectionis (id est, Christi) spectavit, Deiparam ab originaria labe immunem creari.

Quid decorum sit, quid honestum.

S. Thomas.

S. Isidorus.

Aristot.

Plato.

S. Thom.

2130 Præmittere operæ pretium est, quid decorum, quid honestum sit. Honestum ab honoris statu dictum docet sanctus Isidorus lib. 10. Originum, quem citat & sequitur sanctus Thomas 2. 2. q. 165. art. 1. Honestas, quod nihil habeat turpitudinis: nam quid honestas, nisi honor perpetuus, id est, quasi honoris status? Alias, honor stans. Addit sanctus Thomas: Unde ex hoc videtur aliquid dici honestum, quod est honore dignum: qualem esse virtutis excellentiam docet. Isidorus decorum idem esse ait, quod perfectum, à decem dictum, qui numerus perfectum, omnibus numeris absolutum significat. S. Thomas loco adducto art. 2. decorum idem esse cum pulchro censet, atque adeo à perfecta pulchritudine dictum. Inde virtutem dici docet honestam, quod propter suam excellentiam honore sit digna: decoram verò, quia amorem sui excitat: sicut enim Aristoteles ait lib. Rethor. Honestas sunt, quorum præmium est honor; & sicut Plato in Phædro: Pulchritudo sola maximè est omnium amabilis: agit de decoro, & pulchro virtutis. Rursus S. Thomas, & S. Ambrosius lib. 1. Officio. c. 45. post Tullium 1. Officiorum, naturam ipsam honesti & decori virtutem esse docent; atque illud salutem, hoc pulchritudini comparat, illud radici arboris, hoc flori componit Ambrosius; qui cap. 46. duplex dividit decorum, generale, & speciale: generale definit illud esse, quod ex virtutum omnium consensu constat; speciale, cum aliquem actum in suis habet virtutibus præminentem; utrumque idem esse cum virtute docet. Et explicatè etiam sanctus Thomas 2. 2. q. 146. art. 1. Honestum proprie loquendo in idem refertur cum virtute. Et art. 2. Honestum diximus idem esse virtuti, que secundum rationem moderatur omnes res humanas: & ideo honestum est idem spirituali decori. Illud monuerim, Ambrosium & Thomam, dum de honesto & decoro agunt, occasione explicandæ Temperantiæ virtutis egisse, in qua honestatem & decorem maximè spectari & quæri censuerunt; non quod ejus solius virtutis esse voluerint,

honestatem, & decorem reddidisse; nam cæterarum etiam virtutum est, ut ipsi docent.

2131 Hæc libuit præmittere, quod videam Theologos ab honesto & decoro primariam Mariæ immunitatis à peccato originis rationem repetere, quasi alienum ab honesto & decoro fuerit, nullo illam immunitatis privilegio munitam, communi Adamicæ plebis lege convoluere, turpissimaque peccati labe conturpari. Certè dum argumentum ab honesto & decoro ducitur, perinde est, atque à virtutis honestate & decoro duci, cum virtus ab honesto & decoro minimè distinguatur. Cujus autem virtutis munus id fuerit, consequens erat, ut explicarem. Hæc porrò virtus vel in Deo spectari potest, qui & communem legem, & privilegium tulerit; vel in Matre Virgine, quæ aut legi subiecta est, aut privilegio posita. Qua, inquam, virtutis honestate, quod decoro id utrinque peractum? Possem, per omnem ferme, virtutem latè pervagari, ut ostenderem & justitiam, & fortitudinem, & temperantiam, & sapientiam, & pietatem & amorem in hanc immunitatem propriis honestis & decoris conspirasse. Sed ut succinctè agam, iis me virtutum cancellis coercebo, quæ strictius ad dignitatem Matris tuendam spectare video. Et quidem cum de pulchritudine honesta, decoraque dilectione agamus, (hoc est de Christo, quem pulchram decoram, & honestam dilectionem Maria nuncupat) ad hujus dilectionis honestum & decorum inprimis spectabit tantæ Mariæ præservatio: quod si Maria communi peccati legi fuisset contricta, honestatem ac decorem tam pulchræ, tam honestæ, tam decore dilectionis lætum fuisse contendo. De honesto postea dicam; nunc de decoro, quod exegisse probabo, ut Dei Mater munda ab omni peccato conciperetur. A decoro igitur in hunc modum disputo:

2132 Quidquid vel ad Matris Dei, vel ad Filii decorum pertinet, id ipsi divinitus fuisse concessum rationis est. Sed tam ad Dei Matris, quam ad ejus Filii decorum pertinet munditia ab originali culpa. Eam igitur Mariæ divinitus concessam fuisse, dicendum est. Majorem propositionem, multis possum monstrare. Primò argumentor à minori. Quia in reliquis operibus nihil prætermisit Deus, quod ad cujusque decorum pertineret. Unde S. Magnes ante tempora Constantini Magnus inter Græcos Patres Ecclesiæ Doctor lib. 4. ad Theostenem contra quandam novi Testamenti reprehensorem scripsit. Cum omnia possit Deus efficere, non tamen effecit quantum potest, sed quantum vult; vult autem que conveniunt, conveniunt que decent, decent verò que apta sunt, & coherentia. Rectè omnia: Deum nempe efficere velle quæ decent, quæ ad ejus pulchram & decoram dilectionem spectant: Decere autem quæ rei cujusque perfectioni aptè coherent. Igitur majori merito decorum Matris ac Filii, quod omnium operum præstantissimum erat, ea Deus providentiæ & amore absolvit, ut nihil prætermiserit quod ad illud conveniens, quod aptum, quod coherentesset; alioquin tum cætera opera, tum certè illud omnium excellentissimum, mancum & inchoatum reliquisset, quod perfectissimi opificis non erat.

Ab honesto & decoro
Mariana
immunitas
quomodo
probetur.

Ad amoris
divini deco-
rum, & ho-
nestum spe-
ctat Maria
immunitas.

Ad decorum
& honestum
tam Matris,
quam Filii
spectat Ma-
riana im-
munitas.

S. Magnes.

Inductione
id ostenditur
in aliis Dei-
paræ myste-
riis.

S. Hieron.

In Incarna-
tione, in
partu.

S. Cyprian.

S. Ildeph.

S. Damas.

In morte, in
Assumpt.

S. August.

S. Bernard.

Inferitur ex
dictis mun-
dicia Deipa-
ræ ab origi-
nali culpa.

S. Dionys.

Job.

2133 Secundò eandem majorem, quæ decorum Matris Virginis, & Filii, adfruit inductione ostendit. Quia hoc potissimum argumento cætera Deiparæ privilegia tuemur. De privilegiis in Filii conceptione; quibus à communibus puerperarum injuriis præmunita est, sic sanctus Hieronymus sermone de Assumptione Beatæ Mariæ. Qualis & quanta esset, ab Angelo divinitus declaratur, cum ait: Ave gratiâ plena, benedicta tu in mulieribus. Talibus namque decebat Virginem oppignerari numeribus, ut esset gratiâ plena, que dedit calis gloriam, terris Deum. Vides decorum, & decentiam Dei Matris ab Hieronymo expensam, ab Angelo servatam, à Deo procuratam, dum cælestibus privilegiis Virginem ornavit tantum concepturam ac parituram Filium? Sanctus Cyprianus lib. de Cardin. oper. capite primo. Immoxiâ affligi non decuit communibus conceptionis & partus injuriis. Q. D. Indecorum esset, atque adeo decorum fuit ab illis præservari. S. Ildephonus libro de Virginitate Sanctæ Mariæ, dum perfectam Deiparæ Virginitatem in partu tuetur, sic ait: Consteantur cum sanctis Patribus sic eum esse natum de Virgine Maria, ut decuit Deum. Rursus præservationem à Virginalis cadaveris corruptione, Damasce-nus decoro adscribit in sermone secundo de Assumpt. Ita eam eripi à sepulchro decebat, & Matrem transferri ad Filium. Et sanctus August. serm. de Assumptione. Deus potuit, & decuit illum, præservare corpus Matris suæ à corruptione: ergo & fecit; aut ostendatur, quare non decuit. Et S. Bernardus Ser-mone primo de Assumptione ait, Mariam assumptam cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit; cum ea gloria, que tantum decuit Filium. Constat igitur inductione efficax privilegiorum Marianorum argumentum, nimirum decorum illud ad Filii, & Matris dignitatem exactum. Si enim communi naturæ vitio, si vulgari partu, si generali devolveretur corruptioni, neque Filii, neque Matris quidem decori consultum fuisset.

2134 Minorem verò propositionem, quæ asserbat, munditiam ab originali culpa pertinere ad hoc ipsum Filii, Matrisque decorum, non minus efficaciter probatur, primò ratione, deinde auctoritate. Ratio sit; quia munditia ab originali culpa intrinseca est, & essentialis decoro Christi, & Mariæ, cum decorum nihil aliud sit, quam perfecta & absoluta sanctitas, quæ ex omnium virtutum, earumque actuum debita proportione existit; sed hæcmet sanctitas, ipsissima est munditia ab omni peccati sorde. Igitur munditia à peccati sordibus intrinseca est & essentialis decoro Christi & Deiparæ. Major hujus Syllogismi patet ex iis, quæ de decoro præmissimus. Minorem docet sanctus Dionysius Areopagita libro de Eccles. Hierar. capit. 16. Cavent omni macula & sorde abstruse Dei pulchritudines, solisque spiritualibus spiritali modo declarantur, quod consimiles atque incorruptas in animis virtutis imagines volent habere. Et cap. 12. de Divin. Nom. Sanctitas quidem est ab omni scelere libera, perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas. Consecutio legitima est. Tunc sic: Peccatum originale macula est sordidissima, juxta illud, Nemo mundus à sorde. Ergo alienum id fuit à munditia decori Christi & P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Mariæ: Quia non alia ratione non solum peccatum mortale, sed etiam veniale, & imperfectio quælibet à Deipara removemus, nisi quia aliena hæc sit à decoro Christi & Mariæ; imò & imperfectiones alias corporeas eo argumento in Beata Virgine negamus; sed magis alienum est peccatum originale ab illa decora munditia, quam ulla corporalis immunditia: Ergo &c.

2135 Deinde eandem illam Minorem probò ab auctoritate sacre Scripturæ, ex qua illustre premo Davidis testimonium Psalmi nonagesimo secundo, versu quinto. Domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum. Quod ut explicem, libet præcedentia percurrere. Etenim Psalmi inscriptio sic habet: In die ante sabbatum, quando fundata est terra: sive quod idem sit, habuita, ut multi transferunt ex Græco, quo usi sunt LXX. Quod ergo David Psalmum condidit in laudem diei ante Sabbatum, quod est in Feriam sextam, in qua Eva & Adamus formati sunt, atque terream hanc Republicam fundare, inhabitareque coeperunt, ad primam creationem retulit Cassiodorus. Nos ex titulo argumentum Psalmi ducimus, quod est de novo Adamo, novaque Eva, Christo ac Deipara novi orbis Parentibus, cum allusione ad primam creationem, quod tum totius contextus, tum extremus versus persuadeant. Et quidem in Profabbatho primos Parentes conditos, haud obscure tradit Augustinus lib. 4. de Trin. c. 5. & lib. 8. de Civit. Dei c. 54. & ser. 18. de Nativit. Illos autem Christi ac Deiparæ fuisse prævias imagines & umbras, palam est: unde non tam Adamum & Evam, quam Christum & Deiparam respiciens Psalmus canit v. 1. summum orbis conditorem tum potestatem exercuisse, tum decorem induisse, ut opus suum & pulcherrimè decoraret, & firmissimè committeret; nam utrumque conditoris titulum, Fortis & decori, ex partu operis utraque nota quæsitam vocem intelligimus: neque enim quod opificium tantus artifex fortitudine & decore insignis moliretur, aut firmo decore, aut decore carere potuit robore. Porrò cum certò constet in primò opificio tam decorum, quam fortitudinem labefactam fuisse, dum terrea nostra natura in utroque Parente, agente adversario, & debilitata & facta data est, consequens fit, ut novum terræ opus, quod minimè jam commovendum canit, aliud futurum prævideat longè firmiori pulchritudine æternum mansurum, Christum & Deiparam.

2136 Subdit v. 2. Parata sedes tua ex tunc, à seculo tu es. Summi Regis imperium quod, manente humanâ naturâ, mansisset, eâ verò collapsâ, corrui, ex tunc firmum ac stabile permanfurum canit, postquam ipsum longè pulchriorem ac firmiorem in novo Adamo & Eva stabilivit. Imò verò à sæculo permanfit, quandoquidem hoc consilium, humani opificii pulchrius, firmitusque stantendi æternum extiterit. Signanda vox illa, ex tunc: inde enim à novo Adamo novaque Eva firmissimis pulcherrimisque conditis, divini solii firmitas ostensa, divini Regis immutanda consilia declarata.

2137 Subtexit v. 3. Elevarunt flumina, Domine, elevarunt, &c. Ex re est, ut simbolo sensum aptemus. Terræ firmitas, Bbb 3 atque

Pl. 92. 5.

Probat
splendore
Davidis.

Psalmi ar-
gumentum;

Psalmi eno-
dario, & il-
lustratio pro
Deiparæ glo-
ria Originaria
li.